hoc, opinor, nemo inficiabitur, non pauca ab eo simul nostra simul externa tradita, quæ alibi nusquam reperiantur. De nostris quod pro eo afferam nihil est, & pietatem patriæ hoc in genere impendisse videtur debitam. Eandem de externis fidem & industriam præstitit; ut de his non minus Ditmaro quam indigenis plerisq; tribuerim. Neque enim negari potest, multa hos sæpè gratiæ, multa invidiæ, odio, iræ largiri. Quibus omnibus mentis judicium tanquam nube quapiam, ut ne veritatis lux perspiciatur, impediri, obscurum esse nemini potest. Accenseo autem externis, *Italica, Gallica, Anglica, Danica, Polonica, Russica, Heneta, Vngarica, Italorum ingenia* non uno loco depingit: & qui in *Gallia* tum etiam motus extiterint, non omittit. Quantopere *Angliam Dani* afflixerint, ut ad Christianismum perducti sint, accuratè persequitur. Habet idem de *Polonis*, & è diverso, ut *Henets* atque inprimis *Lusatii & Obotriti*, qui hodie *Megalburgenses* sunt, abjecto Christianæ religionis cultu ad Ethnicas superstitiones, ceu canis ad vomitum, redierint, demonstrat. Addo his expositiones luculentas de tribus Poloniæ Principibus, MISECONE, BOLESLAO Chrobro & MISECONE altero. E quibus cum *Boleslao* vulgò regii nominis dignitas tribuatur, & ita ttibuatur, ut auctor huius astruatur Imp. Cæs. OTHO III. Aug. *Ditmarus* hac de re verbum nullum: ut dubitare de ea fortè liceat: Cum interim, qua is & *Miseco* pater, devincti Imperio essent, clientelam non dissimulet. *Vngarorum* immanitatem passim inculcat: & ut hæc etiam gens ad Christianismum pervenerit, ut regibus uti cœperit, explanat. Iam quid cætera commoda, quid documenta: quæ historia hæc præbet ampliſſima, commemorem? id enim peculiaris argumenti fuerit. Tamen in documentis aliqua ut attingam, facilè in his princeps fuerit de religione, quæ ut jam per id tempus obscurata fuerit, addocet Ditmarus liquidissimè, neque in Hierarchia Romana ordinis Ecclesiastici ambitionem, utque is profusa principum illectus munificentia, in hoc universum studium consumserit, ut divitiis & facultatibus affluëret, reticet. Quæ res ut Principes plane exhausit, ita religionis interitum acceleravit. Et Episcopi, atque inprimis Pontifex Romanus, jam antè inde à PHOCÆ Cæs. temporibus διχυμενικῦ nomine & titulo tumens, opibus Impe-